

Cuius est pluralitas tantum in personis
Pater, Natus, Spiritus, multiplex in donis.

Item de eodem¹.

Sent. I, 1. 2.

- 45 Una trium deitas, una celsitudo,
Sed sic singularitas, ne sit solitudo;
Discreta proprietas, ut similitudo
Imaginis veritas, non commenta ludo.

Quibus² rebus fruendum.

- Tres res ineffabiles, quibus est fruendum.
50 Nam quae sunt mutabiles, non his insistendum,
Bonum purgatissimis mentibus cernendum
Nec non attentissimis auribus tenendum.

Qualiter unitas trinitatis in creaturis
inveniatur.

- Qualiter hec trinitas sit in unitate, I, 3. 6.
Quæve sit identitas³ in diversitate,
55 Quamvis in enigmate, docent res creatæ,
Rationis oculo quas considerate.

Exemplum de creaturis.

- Tria sunt in anima una substantiva I, 3. 7—14.
Scilicet memoria, vis intellectiva
Et voluntas tertia, se sic inspectiva,
60 Ut sibi cohereant tanquam relativa.

Exemplum.

Nam quicumque meminit, vult se meminisse,
Et quod quis intelligit, meminit scivisse.
At quod quisque voluit, scit se voluisse.
Sic hec sese capere debes non nescisse.

Aliter idem.

- 65 Venit adhuc trinitas in cognitionem⁴, 3. 18—23.
Mentem et noticiam ac horum amorem.
Patrem mentem statuas, noticiam prolem⁵
Et ab his procedere cogites amorem.

1) in marg. adiectum. 2) quibus — fruendum signo ~ posito in
marg. inf. suppl. 3) identinas corr. identitas. 4) gnitionē c. 5) pte c.
p oblitteratum.